



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 19. Sagarum in aquis natantium, iudiciariam explorationem non modò
illicitam, sed etiam contra rationem esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

gatur; potest fidem alijs quoque rebus a-
struere; immo, justissimè miracula negat,
vbi sunt, qui ea intempestiuè exigūt. Vnde,
dicentibus Scribis & Pharisæis, *Magister,*
volumus à te signum videre, respondit: *Gene-*
ratio mala & adultera signum quarit: & signū
non dabitur ei, nisi signum Iona Propheta. Et
Herodes, viso IESV, gavisus est valde. Erat enim
cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd
audierat multa de eo, & sperabat signū aliquod
videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum
multis sermonibus. At ipse nihil ei respondebat.

Matth. 12.
38.

Luc. 23. 8.

§. XIX.

Sagarum, in aquis natantium, iudiciariam
explorationem non modò illicitam, sed
etiam contra rationem esse.

Discunt hinc miraculorum intempestiui
fititores, D E V M prodigia exhibere, quan-
do ipse vult, non quando ipsi. Patrata
sunt, ea quidem, per diuini spiritus viros,
sed DEI jussu, non libitu curiosorum; atq;
ad veritatem, non ad vanitatem stabilien-
dam. Multa, in Sanctis suis, mirari nos vult
DEVS, non imitari. Quare mirari satis non
queo quorundam hominum iudicia, qui,
cùm à Sanctorum vita procul recedant, ta-
men eorum miracula non verentur affecta-

P re.

s. s.
Hya-
alter-
, ex-
eram
at, e-
reba-
palea.
vnius
nterea
alidius
manu
aconu
in imo
calore
ns ha-
dax in
Inie-
nodia,
rcatio
tur: &
liben-
olumis
n imi-
mpus,
us mi-
a alli-
gatur;

re. Monstri simile est, Pontificiam prohibitionem, apud vulgus indoctum valuisse, & tamen viros, qui sibi videntur prudentes ac eruditi, adhuc istam aquarum probationem non solum defendere, sed etiam ad maleficas deprehendendas adhibere. Licitam esse mordicus contendit Arnoldus Scribonius Philosophus Marpurgensis. Sed hic haereticus fuit. Magis miror, à Catholico calamo eandem fuisse sententiam propugnatam. Longè autem maximè stupeo, quod inter plurimos, sermone quotidiano, pro certo habetur, & ante hac, in multis Germaniae urbibus ac locis, maximèque Westphaliae circulo, fuit usitatum, in exploratione maleficarum, quas suspectas eduxerunt ad fluvium, aut lacum, atque in aquam ita coniecerunt, ut dextra manus sinistro pedi, sinistra verò dextro esset obligata. Si supernatabat, quasi ovum inane, venefica putabatur; si mergeretur, innocens existimata est. Quo in genere probationis multa sunt delicta. Nec enim sacri canones duntaxat eo violantur; sed ipsa etiam justitia & natura. Si enim aquae iuste iudicium ferrent, veneficos mergere, non innocentes, deberent. Deinde huius farinae homines in ro-

gum

gum, non in fluuium; in flammās, non in undas sunt conijciendi. Et quę natura aquę vim dedit veneficas portandi, ne mergātur? An quia plerumque sunt fæminæ leuiiores? Sed ea leuitas illas non attollit, quia est leuitas morum, non membrorum. Aut quia aquę, suapte natura, malis parcunt, & sæuiunt in innocentes? quis illis dicit, hos malos, illos esse innoxios? &, si scirent, quàm iniquæ essent, si bonis malè, malis bene suã naturã facerent? Scio esse, qui dicant, dæmonem in sagas intrare, illasque sua naturali leuitate sustentare. Atqui hæc dæmonum leuitas à Philosophia exploditur. Præterquam, quòd, si hac leuitate spiritus illi præditi essent, Gerasenorum sues natate, non mergi debuissent, quod non est factum, quando *exierunt demonia ab homine, & intrauerunt in porcos: & impetu abijt grex per præcep̄s in stagnum, & suffocatus est.* Peccant igitur iudices, qui Pontificiã prohibitionis gnari, tam friuola aquę probatione vtuntur; quique hac ratione DEVM tentāt, quod est delictum religioni, & primo Decalogi præcepto aduersum; neque pro miraculo, sed, pro pacto magico habendum.

Luc. 8. 33.

Vide
Martin.
Delrium.
lib. 4. dis-
quis. ca. 4.
q. 5.